

Annus Christi 1221.

Honorij III Pont. 5.

Friderici II Reg. 9. Imp. 2.

Bernardi III Ep. Pad. 18.

Inter hæc Pontifex hoc anno nihil sollicitius egit scriptis ad Reges & Germaniæ Principes literis, quàm ut aliæ atq; aliæ suppetiæ in Palæstinam mitterentur. Hanc in rem in Germaniam miserat Conradum Moguntinum Scholasticum ac pœnitentiarium suum, qui populos ad sacrum bellum inflammaret. Fecit id ille constanter. Ac licet interea Hildesienfis Episcopus esset delectus, eamque electionem ratam habuisset Pontifex; non destitit tamen Pontifex cœpti muneris admonere rogareque, ut per ceteros Concionatores eadem opera sumeretur. Ob id scriptæ etiam ad Saxoniam Ducem literæ, quibus idem efflagitat Pontifex. Et capta quidem magno triumpho Damiatatenebatur à Christianis; sed ea pericula imminebant à Saracenis, & recessu Christianorum ex militia & castris, ut nisi alia subsidia advenirent, omnis hæctenus parva victoria cum probro Christiani nominis refluxura nunciaretur ex Syria. Quare ad Pontificis sollicitationes tantus ex Germania, Italia, Francia, Anglia, ceterisque regnis fluxit cruce signatorum exercitus, ut septuaginta armatorum millia (Godefridus ad ducenta millia auget) numerarentur, qui Damiatam egressi secundum Nilum, pars terra, pars flumine, Cairum versus ingentibus animis iter instituere; tanquam Cairo expugnato totam Ægyptum inter se divisuri. Jam ad quatuordecim milliaria processerant, cum Saraceni, ubi Nilus se in duo scindit divortia, se objecere cum innumeris copijs, Castello etiam munitissimo excitato, in ulteriori ripa, ex quo transitus Christianis præclusus, ne qua annona subvehi posset. Ibi cum inter fluctuantia consilia hærerent Christiani, decem millia ab exercitu recessere; sed eo animosiores, qui in terrestri exercitu erant, Saracenos cum magna clade repellunt; quibus exacerbati barbari verso in Christianos furore septingentas & quinquaginta Christianorum naves injecto igne græco exurunt: interclusisque terra & flumine vijs, exercitum Christianorum retro paludes compellunt. Tum verò solutis Nili cataractis, infusisque, quas inter colles collegerant aquis, tanquam rete inclusum piscem tenuere. His angustijs circumventi, ut vitam redimerent, coacti sunt sese Soldano innatali Virginis dedere; interque cetera pacta Damiatam restituere convenit. Triginta millia captivorum erant; quos tamen benigne & sine maleficio abire permisit. Mira rerum catastrophe ex abditis Dei judicijs ingemiscente orbe Christiano, ex tanto belli apparatu tantisque laboribus non nisi miserandam cladem nunciari, omniaque refruere ad Saracenos, dum summa felicitas non capitur.

Hoc

Odoricus in
hist. Eccles.
Honor. Epist
351.Godefrid.
Ursberg.
Paris. ex li-
teris Al-
berici.Petrus de
Monte
acuto.Pontifex
bellum
sacrum
promo-
ver.Infelix
Christi-
anorum
cum Sa-
racenis
congres-
sus.